



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE MEMBRIS ECCLE-||SIAE MILITANTIS,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XXIII. De bigamia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53880)

mile est paucissimos Subdiaconos Siciliae breuissimo tempore sex millia infantium genuisse? & quomodo illa sex millia capita ex Sicilia in Romanam piscinam Gregorij saluerunt? quomodo autem intellectum est illa esse capita liorum Clericorum, non Laicorum? denique cur de historiam admiranda nihil scripsit Ioann. Diaconus, Beda, Sigbertus, Ado, Freculphus, aliique tam multi? Itaque non immerito suspicatur Staphilus hanc epistolam confictam sub nomine S. Vdalrici, in responsione ad fictas dissensiones, quam inter Catholicos esse falso criminatur Illyricus, qui etiam adit Augustae inter opera S. Vdalrici, nullam syllabam de hanc re extare.

De tota hac disputatione, vide Michaelem Medinam in libris quinque de continentia hominum sacrorum, Cledium Espencum in libris eiusdem argumenti, Iodocum Glichtouaum in libro de coelibatu Sacerdotum, Hofium in Dialogo de hac re, Aialam de traditionibus parte tertia, Didacum Papuanum libro ultimo, Ioanem Cochlaeum de rebus contra Calvinum, Alphonsum à Castro lib. 13. de haereticis, verbo Sacerdotium, haeresi 4. Albertum Dighum controuersia 15. Vide etiam solutiones aliorum argumentorum, quae huc etiam referri potuissent, infra lib. 2. de Monachis cap. 29. & sequentibus.

## CAPVT XXIII.

## De Digamia.

**P**OSTREMA restat quaestio; num Apostolica lege prohibitum sit, ne qui post primae uxoris obitum alteram duxit, ad sacros ordines admittatur. Tota autem controuersia de verbis illis beati Pauli est: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, & unius uxoris virum.* Et rursum: *Diaconi sint unius uxoris viri.* 1. Timot. 3. & Tit. 1. Tres autem eius loci expositiones praecipue reperiuntur.

PRIMA Lutheri est in libro de captiuitate Babylonica, capite de ordinis Sacramento, & fusiùs in propositionibus de digamia Episcoporum, ubi docet, B. Paulum illis verbis solùm

solum prohibuisse scortationem, & adulteria, ut sensus sit: *Oportet Episcopum esse Vnius uxoris virum*; id est, oportet Episcopum sola vxore legitima, siue vna, siue pluribus esse contentum, non indulgere scortationibus; ira ut vocabulum viri, non significet maritum, sed aliquid commune ad maritum, & adulterum; & addit, non modò non esse prohibitam à Paulo pluralitatem vxorum successiue, sed neq; simul, nisi fortè apud Gentiles propter scandalum; nam apud Iudæos, vbi erat consuetudo plures vxores ducendi, non existimat Lutherus interdictum fuisse Christianis Episcopis multas simul vxores habere.

**ALTERA** sententia est aliorum, qui existimant à Paulo prohiberi multitudinem plurium vxorum simul, nò tamen successiue. Ita docent Magdeburgenses, etsi alioqui rigidi Lutherani esse soleant, Cent. 1. lib. 2. cap. 4. col. 451. & 452. & Calvinus in caput 3. prioris ad Timotheum, & in caput 1. epistolæ ad Titum.

**TERTIA** sententia Catholicæ Ecclesiæ est, quæ semper verba illa B. Pauli ita intelligenda esse docuit, ut prohibitum sit sacris ordinibus initiare eos, qui quouis modo bigami fuerint. quam sententiam probare possumus tribus argumentis.

**PRIMO** ex cap. 5. prioris ad Timotheum, vbi de viduis legimus: *Vidua eligatur non minus sexaginta annorù, qua fuerit Vnius viri vxor.* Ex hoc enim loco refellitur imprimis Lutheri sententia; nam eadem phrasi dicitur, *Vnius viri vxor,* & *vnus vxoris vir*: certum autem est illud: *Vnius viri vxor,* non posse significare, ut vidua non fuerit adultera, vel scortatrix; nam scortum non dicitur vxor, si ad adulterum aut scortatorem referatur, sed adultera, vel meretrix. **DEINDE** continentia ab adulterio & scortatione, non solum requiritur in muliere quo tempore vir eius viuit, sed etiam postea dum in viduitate degit, & tamen Paulus non loquitur hoc loco nisi de tempore quo vir eius viduæ viuebat, non enim dicitur vxor vnus viri fuisse, nisi quãdo virum habebat, igitur illis verbis: *Qua fuerit Vnius viri vxor,* non potest significari, ut eligatur vidua quæ non fuerit scortatrix, aut adultera, sed quæ vnum solum maritum habuerit.

Ex eo.

Ex eodem loco refellitur etiam sententia Centuriatorum, Caluini, Pomerani, & aliorum, qui volūt Paulum prohibuisse, ne habeat Episcopus vel Diaconus duas simul uxores. Nam (vt diximus) eadem phrasi & in eadem epistola, & ab eodem Apostolo iubetur esse Episcopus vnus vxoris vt & vidua vnus viri vxor; at nulla ratio permittit, vt Paulus iubere voluerit, ne vidua eligatur, quæ fuerit vxor multorum virorum simul. id enim frustra Paulus iussisset, cum non quam, & nunquam fuerit eiusmodi vsus, vt vna mulier esse plurium virorum vxor. Habuerunt quondam Iudei multas uxores, vt etiam nunc habent Turcæ; at nunquam est auditum, vt vna mulier plures maritos habuerit. Nam vt ait S. Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 12. Cur vnus vir haberet plures uxores, ratio erat, vt plures filij nascerentur; at cur vna mulier sit vxor plurium virorum, nulla est potest ratio; non enim pariet mulier nisi semel in anno, sed habeat vnum, siue centum viros, immò meretrices nullas pariunt ordinariè.

ALTERA ratio ducitur ex tempore, quo hæc Paulus scripsit; nam eo tempore non erat consuetudo, neque apud Iudeos, neque apud Gentiles, & multò minus apud Christianos, vt vnus vir duas simul uxores haberet; proinde quod prohibebatur, non erat cur tam seriò prohiberetur. & quidem quod ad Gentiles attinet, satis patet ex eo quod in Imperio Romano, quo tunc orbis terrarum regebatur, semper infamia & prohibita fuit polygamia plurium vxorum simul. Vide filios his qui notantur infamia, lege prima. Item C. de incestu nuptiis, L. neminem, & ad L. Iuliam, de adulteriis, L. cum qui; tamen enim leges istæ paulò posteriores sunt Apostolicis temporibus, tamen indicant prohibitionem polygamie multò esse antiquiorem.

Primus, qui publica lege concessit polygamiam plurium vxorum simul, fuit Valentinianus Senior, vt Socrates refert lib. 4. cap. 26. sed non diu ea lex durauit, cum constaret Imperatorem non alia de causa eam legem tulisse, quam vt regerent intemperantiam suam.

Quod verò attinet ad Christianos, necnon etiam Iudeos, ex Testamento nouo facilè colligi potest, non fuisse apud eos cōsuetudinem, vt quis duas uxores haberet; semper enim

enim de cōiuge in numero singulari loquitur Scriptura Te-  
 stamenti noui, Matth. 5. *Qui dimiserit uxorem suam.* Cap. 19.  
*Si licet homini dimittere uxorem suam.* Et ibidem: *Omnis, qui*  
*reliquerit domum, vel agros, aut patrem, aut matrem, aut ux-*  
*orem, &c. Lucæ 14. Qui non odit patrem, & matrem, & ux-*  
*orem, & filios, &c. 1. Cor. 7. Vnusquisq; suam uxorem habeat.*  
 Item: *Alligatus es uxori, noli quarere solutionem; solutus es*  
*ab uxore, noli quarere uxorem.* Ad Ephes. 5. *Vnusquisque*  
*uxorem suam, sicut seipsum, diligat.* Quin etiam Lucæ 1. le-  
 gimus, Zachariam vxore sterili vsque ad senectutem perma-  
 nente, non tamen superduxisse alteram, quod haud dubiè  
 fecisset, si eo tempore id fieri licuisset. Scribit quidem Iose-  
 phus lib. 17. antiquit. cap. 2. Herodi Regi nouem vxores fuisse.  
 At priuati homines etiam apud Iudæos iam dudum desie-  
 rant plures vxores accipere.

TERTIA ratio est auctoritas Patrum, qui semper hūc lo-  
 eum de monogamia ita intellexerunt, vt non liceat cum E-  
 piscopum vel Diaconum creati, qui duas vxores, etiam di-  
 uersis tēporibus, habuerit. TERTULLIANVS lib. I. ad vxo-  
 rem: *Quantum fidei detrahant, quantum obstrepant sanctita-*  
*ti nuptiæ secunda, disciplina Ecclesiæ, & præscriptio Apostoli*  
*declarat, cum digamos non sint præsidere, cum viduam allegi*  
*in ordinationem, nisi vniueram non concedit.* Neque dubium  
 est, quin per digamos intelligat eos, qui duas vxores habue-  
 runt, non simul, sed vnam post alteram; nam de hac digamia  
 in toto libro loquitur; hortatur enim vxorē suam, vt se mor-  
 tuo non ineat secundas nuptias. Similia habet in lib. de mo-  
 nogamia, & in libro de exhortatione castitatis. Neque his  
 repugnat, quod idem Tertullianus in libro de monogamia  
 Catholicis obiicit, digamiam Sacerdotum: *Quot, inquit, ex*  
*digamia præsidet apud vos?* Nam vel aliqui digami ex dis-  
 pensatione præsidebant: vel certè aliqui, qui alteram habue-  
 rant ante Baptismum, qui multorum opinione non habe-  
 bantur digami, etsi apud alios, in quibus Tertullianus erat,  
 digami censerentur: vel tandem vitio & abusu id fiebat; nec  
 enim defendimus, nunquam esse factum id quod fieri non  
 debere dicimus.

EPIPHANIVS hæres. 59. Catharorum: *Quæ ad sacer-*  
*dotium tradita sunt, propter eminentiam celebrationis sacro-*  
*rum;*

rum; ea aequaliter ferri ad omnes putauerunt, cum audiverint, quod oportet Episcopum irreprehensibilem esse, Vnius uxoris virum, continentem, similiter & Diaconum, & Presbyterum; reuera enim non suscipit sancta Dei praeceptio Christi aduentum eos, qui a nuptiis, mortua ipsorum uxore, secundis nuptiis coniuncti sunt, propter excellentem sacerdotij honorem ac dignitatem, & haec certo sancta Dei Ecclesia cum sinceritate obseruat. Haec ille. Vbi apertissime loquitur de digamia plurium vxorum successiua, cum eos digamos appellat, qui mortua vxore, aliam ducunt, & cum Cyprianos reprehendat, qui ex hoc loco Pauli etiam Laicis interdicebant secundas nuptias.

AMBROSIVS lib. 10. epist. 82. ad Ecclesiam Vercellensem tractans hunc locum Pauli; Vnius vxoris vir: Qui, inquit, coniugium iterauerit, culpam non habet coinquinati, sed praecipua exiit Sacerdotis. Haec ille. Vbi apertissime reicit Lutheri atque Caluini sententiam, qui volunt, ab Apostolo prohiberi vel duas simul vxores, vel adulteria; haec enim qui admittunt, culpam habent coinquinati, & non solum praecipua exiunt Sacerdotis. Similia habet Ambrosius lib. 1. de officiis, cap. vlt. & lib. de dignitate sacerdotali, cap. 4.

HIERONYMVS in commentario primi capituli epistolae ad Titum, per vnius vxoris virum monogamum intelligit. Quod autem monogami nomine intelligat eum, qui nec simul, nec successiue plures habuerit, perspicuum est ex illis verbis: Apostolus, inquit, de Episcopis & Presbyteris haec praecipiens, in ceteris relaxauit, non quod hortetur ad secunda Matrimonia, sed quod necessitati carnis indulgeat. Haec ille. At certe non indulget Apostolus Laicis ut fornicentur, aut duas simul vxores ducant, sed solum, ut vxore defuncta, iterum in eandem Matrimonium; igitur hoc ipsum Sacerdotibus prohibet, ut plures etiam successiue vxores habeant.

S. AVGVSTINVS libro de bono coniugali, cap. 18. tractans hunc locum; Vnius vxoris vir: Non absurde, inquit, visum est, eum qui excessit vxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commississe, sed normam quandam Sacramenti amisisse, non ad vicia bona meritum, sed ad ordinatio- nis Ecclesiasticae signaculum necessariam. Haec ille. Vbi cum dicit, numerum singularem vxorum excedere, impedimen-

tum esse ordinationis, nec tamen esse peccatum, apertè indicat, se loqui de multitudine vxorum, non vno tempore, sed diuerso. Nam eodem tempore plures vxores habere, Christiano nullo modo licet ex Augustini sententia; sic enim loquitur idem Augustinus libro 22. contra Faustum, capit. 47. *Quid, inquit, tandem criminis est, quod de pluribus simul habitis vxoribus, obicitur sancto viro Iacob? si naturam consulas, non lasciuiendi, sed gignendi causa illis mulieribus crebatur; si morem, illo tempore, atque in illis terris hoc factitabatur, si praeceptum, nulla lege prohibebatur; nunc vero cur crimen est, si quis hoc faciat, nisi quia, & moribus, & legibus non licet?* Idem quoque habet in libro de bono coniugali, capit. 7. & libro 3. de doctrina Christiana, cap. 12.

S. Ioannes CHRYSOSTOMVS homil. 2. in epist. ad Titum: *Castigat, inquit, hoc ipso etiam impudicos, dum non eos permittit post secundas nuptias ad Ecclesiae regimen, dignitatemque Pastoris assumi; nam qui defunctae vxori beneuolentiam nullam seruasse deprehenditur, quo pacto hic Ecclesia praeceptor esse optimus poterit? Nos enim profecto omnes, quod etsi per leges secundae nuptiae permittuntur, multis tamen ea res accusationibus patet, nullam ergo occasionem praebere subiectis praesulem sult.* Haec ille. Vbi clarissimè significat, vnius vxoris virum à beato Paulo dici eum, qui post obitum primae vxoris, secundam non duxit, quomodo exponunt etiam ceteri, tum Graeci, vt Theophylactus & Occuinenius, tum Latini, Sedulius, Anselmus, Primasius, Haymo, sanctus Thomas, & ceteri in commentariis huius loci. IDEM etiam disertis verbis docent veteres summi, sanctissimiq; Pontifices; Siricius in epist. 1. ad Himericum, cap. 11. Leo I. in epist. 85. alias 88. ad Episcopos Africae, cap. 1. Gelasius I. in epist. 1. ad Episcopos Lucaniae, Brutij, & Siciliae, cap. 5. Hilarius in Concilio Romano; & Innocentius in epist. 22. Vnus est Theodoretus, quantum legere potui, ex omni numero veterum, qui per vnius vxoris virum, intellexerit eum, qui duas aut plures simul vxores non habet; ita enim exponit in commentario, cap. 3. prioris epistolae ad Timotheum; sed non est tanta eius auctoritas, vt tot sanctis Pontificibus, & omnibus aliis Patribus anteponi debeat.

His accedit QVARTO & vltimò, totius Ecclesiæ cõsuetudo. Nam, vt Innocentius scribit in epist. 22. cap. 1. in toto Oriente & Occidete hoc seruabatur, quod etiam nunc seruari videmus, vt bigami non ordinentur. Neq; solùm vbiq; sed etiam semper hoc seruatum esse, planum esse potest ex Leone epist. 88. ad Afros, vbi dicit, semper hoc esse seruatum; nec non ex eo, quòd huius rei mentio fit in Canonibus Apostolorum, can. 17. & 18. & in antiquissimis Conciliis, vt Neocæsariensi, can. 8. & in Nicæno I. teste Ambrosio in epist. 82. Deinceps etiam semper esse seruatum, patet ex decreto Gratiani, dist. 26. & ex decretalium volumine, tit. de digamis, vbi multa ponuntur testimonia Pontificum, & Patrum diuersorum ætatum; quod autem semper & vbiq; seruatum est, sine dubitatione vlla ab Apostolica traditione descendit.

## CAPVT XXIV.

*Soluuntur obiectiones Lutheri.*

**S**ED IAM ad argumenta LVTHERI respondemus. PRIMA OBIECTIO; Apostolus iubet Episcopum eligi irreprehensibilem, siue, vt Titum loquitur, sine crimine, quod est Græcè ἀνεγκλητῶ. Is autē est eiusmodi, qui non potest palam argui alicuius criminis. Explicat verò statim Apostolus, quæ sint crimina, quib. carere debet Episcopus, & ait: *Vnius viri vir, filios habens fideles.* igitur vnus vxoris vir, nō significat monogamiā, quæ opponitur poligamiæ pluriū vxorum successiuè, quæ nunquam fuit crimen, sed eam, quæ opponitur fornicationi & adulterio, quæ vera sunt crimina.

RESPONDEO, potest hoc loco nomine criminis non solum peccatum intelligi, sed quidquid ab hominibus reprehendi solet; neque enim sola peccata reprehenduntur, sed etiam ea, quæ signum præbent incontinentiæ, aut alterius vitij; talem autem esse quamlibet bigamiam certissimum est. Nam idcirco in Concilio Neocæsariensi can. 7. prohibentur Sacerdotes interesse nuptiis digamorum, & etiā apud Gentiles bigami Pontifices esse non poterant, vt Tertullianus refert lib. I. ad vxorem, & Seruius in illud 4. Æneidos.

Huic